



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Clavdii Aqua-Vivae Societatis Iesv Præpositi
Generalis V. Meditationes In Psalm. 44. et 118**

Acquaviva, Claudio

Coloniæ Ubiorum, 1616

113 Iniquos odio habui: & legem tua[m] dilexi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50645)

113 Iniquos odio habui : & legem tuam dilexi.

Iniquorū
displicet
iniquitas
non natu-
ra.

QUOD tibi displicet, placere mihi non potest. Quod ipse odio habes, amare non possum, qui te, & legem tuam ex animo dilexi. Iniquos odio habui, quia iniqui sunt, id est, à lege tua discedunt. Quod ipse fecisti in eis, probo, & diligo, hoc est naturam, quam bonam bonus autor fecisti. Quod ipsi fecerunt, hoc est iniquitatem, odi, & execror. Imagini quippe tuæ, quam decoram condidisti, ipsi adulterinam, fœdamque superinduxerunt, & piceo quodam colore formosam denigrarunt. Quoniam iniquitatis, & mendacij pater persuasit voluntati illorum similitudinem voluntatis suæ, qua in veritate non stetit. Quomodo ergo diligam, quos diabolo factos esse similes agnoui, eiusque tetram imaginem superinduisse?

Ex odio
est primò
propter
fœditatē.
Secundò,
propter
recessum
à Deo.
Tertiò,
propter
scandalū.
Iusti com-

Odio autem habui tum propter fœditatem, quæ ex tua luce mihi supra modum apparuit: tum quia à te recesserunt, cui toto affectu inhæreo: tum etiam, quia odorem tuum inter homines fœtere faciunt: tum quia scandalo, & ruinæ alijs sunt: tum etiam, quod me dissonantia morum ad peiora detrahunt. Facit autem hoc odium, ut te ipsum magis diligam: me mutabilem agnoscens in tuo lumine humiliem: à

te

te supplex auxilium, & confirmationem *moda ex*
 expetam : vitam hanc paleis, & zizanijs *peccato-*
 intermistam deplorans grauate feram : ad *ribus.*
 mundiorem, & quietiorem aspirem, & su-
 spirem : pro his gemebundus ad te preces
 effundam, si quo modo des eis spiritum
 poenitentiae, vt a vanitate ad veritatem tra-
 seant : & tenebras exuentes luce tua vesti-
 tur : & cetera cum odio proijcientes, tibi
 vni toto pectore adhæreant. Ita sanè illos
 odio habui, & legem tuam dilexi, quæ, vt
 mihi odij erga iniquitatem causa est, ita &
 compassionis erga iniquos, & amoris erga
 te mihi incentiuum fuit.

114 Adiuutor, & susceptor meus es tu :
 & in verbum tuum supersperaui.

IN Hebræo significantius, pro adiutore,
 latibulum : pro susceptore clypeus, vel
 scutum. Quibus vocibus significatur, non
 quocūque modo te esse adiutorem meum,
 sed intra viscera misericordiae, quasi intra
 latibulum abscondendo. Quid timeat, qui
 intra te latitat? quis inimicus in hoc lati-
 bulum perrumpat. Clypeus à circumdan-
 do, & sepiendo, atque concludendo voca-
 tur. O susceptorem non qualemcunque,
 sed scutum protegens, atque circumdans.
 Iaculetur sagittas ignitas, qui sagittat in
 obscuro, sub hoc clypeo tutus sum. *Psal. 10.*
 Vti-
 nam ab eius velamento nunquam rece-
 dam,

Deus Ta-
 sto lati-
 bulum.

Et cly-
 peus.

Psal. 10.